

a Servatore nostro institutæ, neque gratiæ promissionem habebant; Ecclesia illas instituit prioribus sœculis, tanquam symbola pacis, & communionis Fidelium; Ecclesia postmodum iustis de causis illas abrogavit.

## Q U Ä S T I O II.

### *De Causis Sacramentorum.*

#### C A P U T . I.

##### *De materia & forma Sacramentorum.*

§. I. **N**ovatores nostri, Scholasticorum inventa dum natus suspendunt adunco, derident Theologos, qui materiae & formæ nomina Patribus incognita invenerunt. Verum quam & ipsi multo magis deridiculi! meminisse debuissent præclare Juvenalis sententia:

*Loripedem rectus derideat, Æthiopem albus.*

Sane nulla hic derisionis causa. Fatemur equidem cum Joanne Morino exerc. 1. c. III. de Sacris Ordinationibus, Guilielmu Antisiodorensem, qui scribebat paulo post annum Christi 1215. materiae & formæ voces in rem Sacramentariam induxisse. Fatemur etiam ( quod notat laudatus Morinus, istam explicandi Sacraenta rationem ex Peripatetica Philosophia ortum duxisse; utpote quæ essentias rerum sub materiae & formæ nominibus solet inquirere. Verum quis hic lapis offensionis, quæ petra scandali Novatoribus nostris? nunquid mutatis vocibus rerum essentia mutata fuit? Per mille & bis centos circiter annos res sensibiles & verba Sacramentorum essentiam constituere docuit Ecclesia; res istæ sensibiles elementa quandoque appellata sunt, unde S. Doctor Augustinus tract. in Joannem: Accedit, inquit, verbum ad elementum, & fit Sacramentum. Quid